55151

DISSERTATIO
DE
PHTHISI LARINGEA

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi tueri conabitur,

AUCTOR,

MARCUS-ANTONIUS PETIT, Lugdunæus, Liberalium Artium Magiſter, olim Noſocomiorum Lugdunenſium Chirurgus, in Scholâ Pariſienſi Chirurgiæ Practicæ Diſcipulus, Magni Noſocomii Lugdunenſis Chirurgus Major deſignatus, nec-non Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Almæque Univerſitatis Medicinæ Monſpelienſis, jam-dudùm Alumnus, & Studioſorum Commiſſarius.

Pro Baccalaureatus gradu conſequendo.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XC.

Difficile eſt recte cogitare, recte ſcribere, difficilius, ut nobiſcum idem ſentiant, alios adducere. MEAD.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

C I V I B U S.

MERITISSIMIS. SAPIENTISSIMIS.

V I R I S.

DIGNISSIMISQUE. PAUPERUM.

P A T R I B U S.

Petro - Antonio Barou Dusoleil, Præſidi.

Joanni - Francisco Dupuis, Patrono. Joanni - Mariæ Degraix, Ex-conſuli. Joanni-Baptistæ Faye. Antonio Jourdan, natu majori. Joanni - Baptistæ Menard. Petro Peillon, filio. Andreæ Orsel. Laurentio Vauberet. Thomati Desvignes, natu majori. Joanni-Carolo Journel, filio natu majori. Joanni-Bartholomæo Lajard. Camillo Pernon, filio.

C U N C T I S. R E C T O R I B U S.

E T. A D M I N I S T R A T O R I B U S.

M A G N I. N O S O C O M I I.

L U G D U N E N S I S.

PRIMOS.

IN. ARTE. MEDICA. LABORES.

TANQUAM.

PUBLICUM. ET. SINCERISSIMUM.

GRATITUDINIS. ET. REVERENTIÆ.

PIGNUS.

QUOD. SIMUL. EXPOSCIT.

ET. JUBET.

ILLORUM. BENEVOLENTIA.

DICAT.

VOVET. ET. CONSECRAT.

Devinctiſſimus Civis,

Marcus-Antonius Petit.

Die vigeſimo-quinto menſis Octobris 1790.

DISSERTATIO

DE

PHTHISI LARINGEA.

I. PHTHISIS nomine, generatim ſumpto, lentam totius corporis conſumptionem per labem purulentam auctores deſignant : quæ conſumptio oriri poteſt à quocumque fomite purulento in variis corporis partibus hærente, velut ab ulcere pulmonis, laringis, hepatis, lienis, pancreatis, renum, uteri, meſenterii, &c. Iſtas inter varietates, ferè tantummodo de phthiſi pulmonali ſcripſerunt autores; ſeu quia frequentior eſt aliis, ſeu etiam quia ſæpe contingit ut pulmo tandem afficiatur, licet malum à fomite purulento in aliis locis corporis hærente originem duxerit. Quin imo medici plurimi, inter quos eminent *F. Sylvius* (1), *Van-Swie-*

(1) Prax. med. append. tom. IV. §. 133.

ten (1), *J. L. Reichmann* (2), cenſuerunt neminem phthiſi laborare priusquam ipſe pulmo afficiatur; nec noxam facile in aliis locis natam, niſi pulmonem prius inquinet, exitialem fieri. Contra generaliorem iſtam propoſitionem experientia clinica cadaverumque apertura inſurgunt. Sed in hâc opinione forſan cauſa reperitur cur medici, qui de pulmonali phthiſi ſcripſerunt parum de phthiſi ab aliarum partium affectione ortâ dicunt, & , quoad iſtius cognitionem, prædictionem, effectus, curationemque ſpectat, ſpeciei jam tractatæ remittunt (3). Certe quidem labis purulentæ eſſentialis, à vitio cujuſcumque partis oriatur, in œconomiâ animali generales effectus, ſimiles & iidem ſunt, & in illis debellandis medela multum variare nequit. Verum enim vero ſi organorum affectioni attendamus, nobis cogitare fas erit, tractationem ſpecificam, tractationem organicam eſſe, vere ſalutarem, & in medicorum operibus nimis neglectam.

II. Inter phthiſis ſpecies modo recenſitas, unam, ſcilicet laringis, oblivioni injuſtæ datam eſſe mihi viſus eſt. Admodum eſt frequens, præſertim apud viros veneri fædatæ ſervientes; & neglectu inſuperabilis facta, lentas mortes in conſumptionibus lentis adducit; dum à principio feliciter artis opibus debellari potuiſſet. Hâc ratione motus, in iſtâ diſſertatione, quidquid de hoc morbo didici apud illuſtriſſimos homines à quibus documentum accepi, apud noſocomiorum ægrotos, in obſervatorum ſcriptis (4), cadaverumque ſectionibus, recenſere volui. Felix, ſi, deficientibus rebus optimis, in meis conatibus ſaltem quoddam utilitatis deſiderium eluceat.

III. Suprema aſperæ arteriæ pars, cartilaginibus cricoideâ, thiroideâ, epiglottide, ligamentis, atque muſculis annexis conſtans, larinx vocatur (5), cujus orificium in faucibus patens pone linguam, unica via eſt quæ aërem in pulmones admittit & emittit. Simul etiam loquelæ & vario vocis mo-

(1) Comm. in aph. *Boerh.* tom. IV. p. 100.

(2) *Richter* opuſc. med tom. 3 p. 130.

(3) *Boerhaave* aph. 1214. *Van-Swieten* loc. cit. p. 95. *Stoll* de cogn. & cur. feb. aph. 831.

(4) Fugiunt me autorum opera in quibus de phthiſi laringeâ peculiariter tractetur: tantum inveni ſparſas obſervationes in eximiis operibus *Hippocratis*, *P. Martiani*, *Benedicti*, *Morgagni*, *Sauvagii*, &c.

(5) *Winſlou*, traité de la tête §. 422 & ſuiv.

dulamini inſerviunt hæ partes, dum per muſculos glottidis apertura dilatatur vel anguſtatur; aut ſua plus minusve tenduntur ligamenta, uti ex phiſiologicis conſtat (1). Internum laringis cavum tunicâ lubricâ inveſtitur, humore glutinoſo ſemper oblinita, & ſenſu exquiſito gaudente. Obnoxia cunctis mollium partium affectionibus, phthiſis laringeæ ſedes eſt præcipua.

IV. Hanc phthiſis ſpeciem ſic definire poſſumus. Lenta totius corporis conſumptio, cum voce raucâ, clangoſa, ſibili, difficiliori inſpiratione, in laringe continuo ſenſu calorificque, corroſivi, tuſſi acerbâ, ſputis purulentis, & ſpiritu fætido.

V. Sub variarum cauſarum actione hic morbus naſci poteſt. Non ibi revocabimus veterum medicorum dogma de acri a capite in laringem, pulmoneſque diſtillante materiâ (2) & phthiſim demum afferente. Quod dogma, ſi capitis nomine pharingis fornicem internaſque nares accipere dumtaxat velimus, cum veritate interdum conſentire non negabimus. Glanduloſam enim tunicam quâ illæ inſtructæ ſunt partes, humorem aliquando ſecernere qui erodendi vim habeat, abſceſſus, & eroſiones in ipſis accidentes partibus, ſatis comprobare videntur. Itaque ſi ex iſtis locis delabentem humorem ſubjectum palatum mobile, & adjecta huic uvula, a laringe non avertant, nihil prohibet quin hanc ſubeat, ipſamque & pulmones tandem erodat aut vitiet. Quamobrem quibus ea palati pars cum uvulâ a lue venereâ, ab aliâve cauſâ abſumpta eſt, eos tuſſi & phthiſi tandem obnoxios fieri, plurimæ obſervationes oſtendunt.

VI. Præterea luem veneream thoracis affectibus obnoxium facere (3) tum medicinam, tum anatomiam exercentes non ignorant, imprimis dum

---

(1) *Dodard*, acad. des ſci. an. 1700 & 1707. *Ferrein* an. 1741. Illuſtr. cancellarii *de Barthez* nova doctrina p. 38.

(2) Fit autem ſuppuratio ſi pituita ex capite ad pulmonem diſtillet. Pulmo a calore trahit ad ſe pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite. *Hippocrate* de morbis. lib. 1. p. 147 int. *Cornario*. Si ex capite defluxio fuerit, irritationem quamdam in uvâ vel aſpera arteriâ concitari neceſſe eſt. *Alex. Tralles* artis med. princip. tom. VI. p. 193.

(3) *Morgagni* de ſed. & cauſ. morb. lib. 11. epiſt. XXII. art. 10. — *Morton* de phtiſiol. p. 145 & ſeq. — *Swediaur* obſ. ſur les mal. ven. p. 336.

laringem & aſperam arteriam occupat: *nam tunc*, ait *Van-Swieten*, *declivi quaſi viâ ad pulmonem venire poteſt* (1). Siphiliticus igitur morbus pro frequentiſſima laringeæ phthiſis causâ meritò dari poteſt; & hæc aſſertio cum factis à *Profeſſore Illuſtriſſimo Vigarous* obſervatis admodùm congruit, nam, ut mihi communicavit, ſemper aut ferè tali causâ naſcentem hanc phthiſim obſervavit. Sæpe etiam uſui nimio hydrargiri, & ſalivationi repetitæ, vel imprudentius adhibitæ corporibus fabricæ tenerioris quæ, ex idioſincraſiâ, hæmophthiſi prona ſunt (2), legitimè imputari poteſt. Ratione ſimili opifices varios invadit qui in operibus ſuis hydrargiro utuntur, & frequenter funeſtas experiuntur ſalivationes. Invadit etiam, ait *Morgagni*, calcarios, ſtatuarios, plumbarios opifices, figulos, pictores, illos qui fila ſerica albicant, aut acidum ſulphuricum, nitricum, &c. (3) incautè diſtillant; nam in his caſibus corroſivi vapores in laringem reſpiratione feruntur, & membranam interiorem irritant exulcerantque.

VII. His cauſis adjungi poſſunt catarrhus frequens, tuſſis valdè repetita, morbi varioloſi puſtularum eruptiones intrà laringis cavum, ejuſdem partis angina ſuppuratione terminata (4), vulnus quod in interiori membrana tumefactionem & inflammationis principium adduxerit, aphtæ inveteratæ viru venereo aut ſcorbutico naſcentes, & quæ latius atque latius ad pulmonis fiſtulam ſerpunt (5), variæ tandem cutis affectiones, velut ſcabies herpeteſque (6) male applicatis medicaminibus intus repercuſſæ.

VIII. Hæ cauſæ remotæ vel occaſionales efficacius agunt cum in debile corpus, laxum, crebris ſudoribus madefactum, rheumate & catarrho frequenter cruciatum, incidunt; & cum æger, voce gracili præditus & cantibus repetitis fatigatâ, adhuc cervice longâ, phthiſicorumque formis donatur. Quæ cuncta tanquam laringeæ phthiſis cauſæ prædiſponentes conſiderari debent.

IX.

(1) Comm. in aph. *Boerh.* tom. V. p. 370.

(2) Cullen. med. prat. tom. 1. p. 396. Trad. de M. Pinel.

(3) Desbois de Rochefort. mat. med. tom. 1. p. 110 & 289.

(4) *P. Martian* p. 135. verſ. 97. de morbis. —— *Stoll* de cogn. & cur. feb. aph. 104.

(5) *Raulin* traité de la phthiſie pulm. p. 13 & 79.

(6) *Morgagni* op. cit. lib. 11. epiſt. XXII. art. 27. 31.

IX. A definitione noſtrâ, rebuſque jam dictis, percipi poteſt proximam hujus morbi cauſam in exulceratione laringis ineſſe; & hanc certiſſime declarant cauſæ remotæ, ſymptomata, & cadaverum inſpectiones.

X. Apud homines, in virili ætate, & dominante mucoſa diatheſi, frequentior eſſe videtur. Nihil de climatis & tempeſtatum influxu dicere poſſumus ob pauciorem obſervationum copiam, & quia non agunt apertè ſuper cauſas à quibus plerumque pendet. Obſervabimus tamen ab affectionibus endemicis, epidemiciſque augeri, conſtitutionis epidemicæ genium aſſumere, & pariter cum morbis ætati cuique & tempeſtati propriis, præcipue cum catarrhalibus autumni & hyemis, ſeſe complicari poſſe.

XI. Cauſarum varietates differentias conſtituunt quibus in curatione attendere refert, & quæ hunc morbum plus minuſve ſimplicem efficiunt. *ſimplex* dici poteſt, cum unam tantum indicationem medico præbet, nempè exulcerationis deſtructionem. *Complicata* vero ſi, præter affectionem organicam, in humoribus quoddam vitium lateat à quo fovetur, & deſtructioni cujus ſe ex toto dare neceſſe eſt. Differt adhuc ſecundum laringis partem affectam; ſic modò ſupra glottidem exulceratur, modò infrà; in primo caſu plerumque afficiuntur epiglottis aritenoïdeæque cartilagines; dum in ſecundo ad tracheam verſus potius exulceratio ſerpit.

XII. Rectè ſeparatur hic morbus in duo diverſa ſtadia, in quibus ſigna ſymptomataque varia deprehenduntur. Secundum hunc ordinem in primo apparent. Æger titillationis ſenſum, qui tuſſim promovet, in laringe experitur; vox fit raucifona; motus reſpirationis difficilior præſertim in inſpiratione; lingua minus aptè moveri poteſt, undè loquela difficilis; laborioſa magis & magis reſpiratio; fit cum ſono ſtertoris ſibili; graves toni impoſſibiles ſunt; cartilago thiroïdea, quam in naturali ſtatu, locum altiorem occupat, & ſicut in tonis acutis, ſursùm & antrorsùm fertur; augent tuſſis & calor in laringe; licet doloris ſenſus ſit acerrimus, ſæpiſſime fit ut tumor & inflammatio uſque ad cutim non pertingant, & tantum calor nimius, major tenſio, & in quibuſdam punctis mollities œdematoſa perſentiri poſſunt. Febris cum morbo fit intenſior; pulſus frequens, validus,

multâ irritatione comitatur (1); in faucibus & ore naſcitur ariditas; ſitis & alteratio non potibus pacantur; caput dolet; intumeſcunt oculi; genæ rubent: anxietas, calor in facie, collo & faucibus adſunt; tandem ſuffocatus æger periit, ſi brevi reſolutione aut ſuppuratione morbus non terminetur.

XIII. Status partium in hoc morbi ſtadio obſervatione ſequenti apparebit. In die vigeſimo menſis Februarii anni 1789, *D. Deſaut*, vir juſte celebris, in arte chirurgicâ præceptor amicus, & cui in æternum ſumma laus, ſumma veneratio, in intimo meo corde parantur, in cubiculum Noſocomii Pariſienſis dictum *du Roſaire*, ſeſe tranſtulit, ut ſuffocanti viro, phthiſis laringeæ progreſſibus, quoddam levamentum præberet. In aſperam arteriam peculiari cum ſolertiâ ſpecillum gummis elaſticæ per nares conduxit. Æger paululum ſpiravit, & revocavit fugientem animam, ſed ope tardius requiſitâ ſervari non potuit; & paucas poſt horas vitam amiſit cum flatu. Secto cadavere fauces in phlogoſo ſtatu invenimus; membrana quâ uvula, contiguæ partes atque exterior larinx ad extremum uſque epiglottidis apicem (quæ epiglottis multo craſſior & ſemi digitalis erat) conteguntur, tenſa ac livida apparuit, & cum conciſa fuiſſet innumeras quaſi cellulas ſub ſe oſtendit, quarum tenues & ſubrubri parietes quodam gelatino, & in quibuſdam locis purulento humore diſtendebantur. Quæ his cellulis ſuberant ea quidem ſana apparebant. Sed interior laringis facies ſubrubro colore prope glottidem infecta erat; membrana plus æquo tumebat, & intus eodem humore gelatino irrigabatur. In ſtatu ſano varia cavitatum organa apparuerunt.

XIV. Membranam laringis *lento ſubflavo ſero & ſparſim purulento turgidam Morgagni* quoque obſervavit. Numquam in uno foco materies colligitur, ſed in variis focis, ob textus cellularis ſtrictiorem naturam, inter ſe difficile communicantibus. Hic partium ſtatus mihi admodum ſimilis viſus fuit ſtatui inteſtini recti in duabus fœminis, à completa hujus partis obſtructione, poſt venereas affectiones, defunctis, & quarum cada-

(1) Cum hunc morbum vidi, eximium opus *celeberrimi Profeſſoris Fouquet*, de pulſibus organicis, non adhuc noveram, & obſervare non potui proprios characteres quos aſſignat. Chap. X. p. 69. Eſſai ſur le pouls.

vera attente diſſecui, quæ obſtructio imprimis eſt frequentior apud illos qui, ſecundum D. *Royer* methodum, antivenereis enematibus uſi fuerunt. Hæc obſervatio, cum facto *Michaelis* qui in cadaveribus ægrorum anginâ polyposâ defunctorum inteſtinum rectum valde coarctatum invenit (1), & cum relationibus inter inteſtinum rectum & gutturis partes ab Ill. *Bordeu* aſſignatis (2), optime conſentit.

XV. Secundum laringeæ phthiſis ſtadium naturalis eſt ſequela progreſſuum morbi ſuppuratione terminati. Sic poſt quamdam in ſymptomatibus primi ſtadii remiſſionem, præter tamen reſpirationis difficultatem, æger duo aut tria puris fœtidi, flavi & ſanguinolenti cochlearia, in tuſſis conatibus expuit; faciliores fiunt reſpirationis motus; vox eſt gravior; paulo tuſſis pacatur: minus acuta magiſque reſonans, ſemper vero acutior quam in pectoris affectionibus videtur; de deglutitionis difficultate non æger queritur, niſi tamen cum aſperæ arteriæ poſtica pars membranacea ulceratione afficitur, nam per œſophagum deglutita deſcendentia accumbentem aſperæ arteriæ hanc partem irritant; non alibi ſenſum doloris manifeſtè percipit niſi juxta exulceratum laringis locum (3); purulenta pauca ac cruenta, quæ vero nullum levamen afferunt, per ſputum rejicit; progrediente morbo, in collo partibuſque vicinis ſudores experitur; vagis corripitur horroribus; paulo poſt pectus dolet; tuſſis pectoralis fit; noctu fere continua; invadit febris; primo veſpere exacerbeſcit; diarrhæa ſupervenit; vox in totum mutat; acuti toni impoſſibiles ſunt; marceſcit æger;

---

(1) De anginâ polyposâ. p. 17.

(2) Remarquons, dit-il, que la plèvre communique avec la couche cellulaire du col & de la face, des narines & de la langue, à peu près comme le péritoine communique avec la couche du tronc, vers le rectum & le raphé. De grands Médecins ont parlé des rapports qu'il y a entre ces deux parties, eu égard aux diſpoſitions de leurs vaiſſeaux. Voici un autre rapport eu égard aux productions du tiſſu cellulaire. Ces deux parties ſont des aboutiſſans où ces productions vont ſe contourner en manière de cul-de-ſac, d'où il réſulte que les environs de la gorge & du nez, ainſi que ceux du rectum, ſont des égouts naturels & très-remarquables. Tissu muqueux. p. 55.

(3) *Aetius* medic. tetrabibl. 3. ſerm. 1. c. 64.

ſit tandem mutus (1); pruritus corporis adeſt; in ore odor oboritur ipſi gravis velut à piſcibus (2) crudis; aliàs atque aliàs in ſputis apparent dura velut fungus ab ulcere; ſupernæ partes attenuuntur, atque adeo homo totus; progreſſu temporis ungues contrahuntur, & aridi ac cum virore pallidi fiunt.

XVI. Si ars aut natura non ægro ſuccurrunt, brevi, tanquam in phthiſi pulmonali, quæ huic morbi ſtadio ſæpe ſe adjungit, ſanguinem ac pus ſpuendo, effectibus conſumptionis lentæ moritur. *Poſtea etiam*, ait *Hippocrates*, *febres vehementes accedentes ipſum perimunt* (3). Aliquoties quoque mors ſubito evenit cum pus exulcerationibus laringis datum, & ſpiſſum in ventriculis, præſertim corpore ad dormiendum compoſito, deinde excidit, & formatum in obturamenti modum, cavum laringis in totum occludit (4). Virginis ſic defunctæ dat exemplum *Morgagni* in opere eximio de ſedibus & cauſis morborum (5).

XVII. Cadaverum perluſtratio in hoc ſecundo morbi gradu ſequentia exhibuit. Lingua quam in ſtatu naturali craſſior videtur; laringis membrana tum exterius tum intus ſub condilomatum formâ ſeſe attollit (6); variis exulcerationibus huc & illuc corroditur; epiglotttis, thiroidea, cricoidea, aritenoideæque cartilagines carie afficiuntur; tracheæ interior admodum rubet; & verſus poſticam partem albentes maculas ſparſim oſtendit; jugulares glandulæ bronchialeſque tumidæ prodeunt; pulmones aut perfectè ſani, aut plevræ connexi, aut inflammatione tentati, maculis rubris variiſque fomitibus purulentis hinc & inde notati reperiuntur; materiem albidam puri-

---

(1) Si ulcere, ait ill. *Sauvages*, exedantur chordæ vocales, inde aphonia & mutitas inſanabilis. Noſol. meth. tom. 3. p. 353.

(2) *Hipp*. de morbis lib. 11. p. 166. int. *Cornario*.

(3) Loc. cit.

(4) Sic etiam vidit *Mentzelius* ſuffocatam puellam à parvâ craſſiſſimæ pituitæ portione, inter duos primos aſperæ arteriæ annulos fortuito ſubſiſtente, & hanc prorſus firmiſſime occludente. *Eph. nat. c. dec.* 2. *A.* 4. *obſ*, 62.

(5) Lib. 11. epiſt. XV. art. 13.

(6) In hominibus à viru venereo defunctis ſimiles in variis corporis partibus protuberantiæ ſæpè videntur, nempè in œſophago, laringe, veſicâ urinariâ, urethræ ductu, ſuper renum ſuperficiem, &c. Vide *Morgagni*. op. c. epiſt. 44. 58 & 69.

formemque preſſi ſpumunt. De aliarum partium affectione ſilent obſervatores.

XVIII. Hæc phthiſis laringeæ deſcriptio in ſuis duobus ſtadiis ſuper obſervationem ſtructa, ſufficit certe ut facilis diagnoſis eluceat, præſertim ſi, ex omnibus circumſtantiis quæ in morbi naturam agere valent, adhuc deducitur. Attamen cum fieri poteſt ut cum morbis parum abſimilibus confundatur, ſigna quibus diſtingui debet nobis breviter exponere liceat.

XIX. Cum anginâ membranaceâ, & naſcente in laringis cavitate polypo, in primo gradu confundi poteſt.

XX. Ab affectione primâ facile diſtinguetur ſi cum dictis ſequentia comparentur. Angina membranacea vel ſtridula ſuffocatio præſertim in pueros invadit, & raro poſt duodecim annum; ſæpe in vere & autumno, in locis humidis, regnante humido tempore; mucoſus videtur morbus, contagioſus, recidivuſque; in totâ tracheâ dolor perſentitur; frequentes tenaciſſimæ materiei vomitus, & remiſſiones in quibus reſpiratio & loquela omnino naturales fiunt, infans experitur; albam caſeiformemque materiem, vel etiam fruſtula membranacea, tuſſis ope rejicit; ſudores uberrimi manant, vel urina ſedimentum album copioſiſſimum devehit; tandem plerumque in quatuor aut quinque diebus æger morbo jugulatur.

XXI. Difficilius à laringis polypo diſtingui poteſt; ſed ſequentia attentè perſpiciendo diagnoſis admodum juvabitur. Abſunt calor ſenſuſque eroſionis in laringe; parum repetita tuſſis non in nocte exacerbeſcit; reſpiratio modò naturalis, modò valdè impedita, ſecundum polypi ſitum, videtur; vox eſt tremula, larinx latior, & in deglutitione corporis extranei ſenſus verſus laringem percipitur; ſæpe polypoſi tumores in aliis corporis partibus apparent; tandem ſpecillum gummis elaſticæ per nares in laringem introductum, & ope cujus polypi præſentia facile perſentitur, evidens & ſenſibile ſignum præbet. Hanc methodum in curatione fuſius explicabimus.

XXII. Secundum vero morbi noſtri ſtadium ab exulceratione pulmonis diſtingui debet; & in illis diſtinguendis eò major difficultas videtur quò phthiſis pulmonalis ſæpe & ſæpius hoc tempus morbi complicare venit (1).

---

(1) *Dominus Fonblanc*, Medicus Burdigalenſis, meus in Lutetiâ Pariſiorum Condiſcipulus, hominis in noſocomio Charitatis cadaver diſſecuit, in laringe cujus ulcerationes quæ laringeam phthiſim in ſecundo gradu concomitant obſervavit, dum pro causâ mortis phthiſis pulmonalis ſuſpicabatur.

Aſt medicus qui errorem vitare cupiet, quæret ab ægro, num materiam quam ejicit expectorando de profundiore loco aſcendere percipit? Num in thorace ſenſus eſt ponderis aut compreſſionis? Num decubitus ſupinus aut in latus difficilis? Num aſcenſſus per acclivia incommodus? Quibus tandem ſignis anteceſſa fuit ejus affectio? Quæ cuncta, ſi præſertim, cum phthiſicorum ſtructurâ, copioſis excreationibus matutinis, conſtrictionis in pectore ſenſu, craſſis ſuper hanc partem ſudoribus, interno ad ſternum calore, urinis rubris, triſtitiâ, inſolitâ hypocondriorum gravitate, uniter exiſtunt, phthiſim pulmonalem certiſſime declarant.

XXIII. Phthiſim laringeam ſimplicem deſcripſimus, & à morbis quibuſcum confundi poteſt, in ſuis duobus ſtadiis recte diſtinximus; nunc complicationum ſigna exponere decet. In hoc quæſitu, antecedentes morbos, ſymptomata quæ in aliis corporis partibus ſimul apparent, medicamenta utilia aut nocentia, genus vitæ, temperamentum, & idioſincraſiam, conſulere neceſſe eſt; nam hæc ſola & cauſas morbi, & internas complicationes indicabunt. Quiſque igitur horum diagnoſis fontium, morbo de quo agitur applicationem faciat, & facile perſpiciet num orittur ab affectione venereâ, aut uſu nimio hydrargiri, à ſcabie aut herpetibus repercuſſis, à vaporibus corroſivis, anginâ, &c. difficillimam eſſe tamen phthiſis laringeæ diſtinctionem à viru venereo aut hydrargiri abuſu pendentis (1) obſervabimus; ſed hæc notitia, ad curationem valde utilis, per ſequentia elucebit. In priori caſu prima afficitur epiglottis, & indè ulceratio uſque ad laringis cavum prorepit; baſis linguæ excelſiora ſunt tubercula; citius læditur reſpiratio; dolores in nocte ſunt acutiores, tuſſis etiam vehementior, pariterque eroſionis ſenſus. Contrà in ſecundo caſu mitiora ſymptomata videntur; rarius in veſpere exacerbeſcunt; reſpiratio ſimulque deglutitio læduntur; fauces & amigdalæ turgent & rubent; æger denique copioſiſſime hydrargiro uſus fuit, aut ſalivationes crebras fuit expertus. De ſede exulcerationis judicatur per doloris ſenſus qui in laringe ſursùm aut deorsùm experiuntur.

XXIV. Tanquam periculoſiſſima conſiderari debet hæc affectio, &, ſi *Fallopium* audiamus (2), cum in lue venerea tetrum malum per tracheam

(1) *Swediaur* obſ. ſur les mal. ven. p. 340. — *Stoll* ratio med. pars III. p. 231.
(2) Aphrodiſiac. p. 781. 782.

prorepit, aſthma immedicabile ſequitur, quod ſi ſupervenerit monet morbum eſſe incurabilem : *non crucietis ægrum*, inquit, *quia non ſanabitis.* Attamen (1) *J. L. Petit*, celeberrimus in arte chirurgicâ, vidit eroſam à lue vereneâ aſperam arteriam & feliciter curavit, poſtquam annulus cartilagineus, à reliquis partibus, ad longitudinem quatuor aut quinque linearum excidiſſet, relicto foramine quod apicem digiti capere poterat. *Galien*, *Ætius*, *Paré*, *Morgagni* & alii ulcera quoque laringis & tracheæ ſanaverunt; & reipſa ſpem aliquam concipere licet cum ſimplicia, in primo ſtadio aut ſecundi temporibus primis & ſine complicatione ſunt; ſed procul eſt ab arte ſpes curationis ſi in circumſtantiis admodum contrariis efformentur. Præterea eò difficilior eſt curatio quo expectoratio, opitulatione cujus pus ulceris expelli debet, illud magis ac magis divellit, & cicatriſationi obſtat. Quò propius glottidi & epiglottidi malum, eò ſanè magis lethale. Hic etiam, ut rectius de morbi periculo prognoſis inſtituatur, ægri temperamento, ſexui, ætati, viribus, prægreſſæ generi vitæ, climati, tempeſtatibus, regnantibuſque morbis, attendere optime decet.

XXV. Interdum accidit ut naturæ medicatricis beneficio phthiſis laringea naturali ſolutione velut reſolutione terminetur, quod lentâ ſucceſſivâque ſymptomatum diſparitione medico annuntiatur. Sic quoque in primo morbi gradu, rarius in ſecundo, tumor circa parotidem aliquoties apparet, & per illius ſuppurationem morbus ſolvitur. Similem in prælectionibus chirurgicis *Profeſſor illuſtriſſimus Brouſſonet* obſervationem afferebat, quæ certe cum factis ab *Hippocrate* obſervatis optime conſentit; nam ſic, ait divus ſenex (2), *vehementes faucium dolores aurium tubercula & convulſiones excitant*, *itemque cervicis ac colli dolores ;* & alibi, *quibus ad fauces irritamenta fiunt*, *iis*, *moderata aurium tuberculum excitantur* (3). Cum rebus anatomicis adhuc factum congruit; nam in loco confluente textus cellularis qui cum jugularibus venis è capite egreditur, & ejuſdem textus

---

(1) Acad. chir. in-12. tom. 2. p. 185.

(2(Sent. 268. coac.

(3) Sent. 264. coac. & ſent. 167. lib. 1. præd. Tuſſes cum crebrâ oris ſalivatione abſceſſum circa aures emolliunt.

oris, colli, pulmonumque, parotides glandulæ ſedent (1), ita ut morbi conatus mobilem materiam verſus hanc partem facilius ferunt. Naturaliter hic ſe præbet ill. *Bordeu* obſervatio ſuper affectionem gutturis parotidiſque tumefactionem viciſſim ſeſe alternantem (2).

XXVI. Certe quidem, ut parotidis futuri abſceſſus prævideantur, magnopere utilis eſſet, ne horum ignarus medicus importuno artis molimine turbet futuram brevi, vel jam inceptam, materiæ morboſæ metaſtaſim, ſimulque his prævifis, ad loca quæ critici tales abſceſſus abſque periculo occupare poſſunt, applicentur talia quæ faciunt ut eadem loca minus reſiſtant & plus trahant. In chronicis vero morbis lentior & obſcurior naturæ greſſus (3), ut de futuris actibus certe pronuntiare poſſimus: idcirco ad hanc *Hippocratis* ſententiam tunc attendere debemus, *quibus ex morbis convaleſcentibus ſi qua pars laboraverit, illic abſceſſus oriuntur* (4). Si circa maxillas igitur æger quemdam dolorem ſentiat, cum in laringe levaminis ſenſu; ſi compreſſione & maſticatione augeatur; ſi lateris affecti auditus minus acutus ſit; ſi tumefactio, rubor, calor, dolorque in parotide appareant; ſi pulſus amplior & plenior; ſi febris nec vehemens adeo, nec malignis ſymptomatibus ſtipata, ſed continua tamen; ſi dolor in capite, alteratio, ſitis exiſtant, tunc docent hæc omnia materiam morbi per febrim ſubactam & mobilem redditam deponi verſus loca quæ jam dolent, rubent, &c. & magna ſuſpicatio criticæ talis metaſtaſis habetur.

XXVII. Si vero parotis non matureſcat, aut ſi jam tumens ſubito evaneſcit, manifeſtum eſt irritos naturæ conatus fuiſſe, quod ſemper peſſimum ſignum offert, niſi ſtatim in alio corporis loco inſignes abſceſſus appareant, vel criticis aliis evacuationibus materia morbi eliminetur. Neque cogitandum eſt tamen, licet parotis in hoc morbo ſuppuretur, ſemper certam

---

(1) *Bordeu* tiſſu muqueux. p. 53 & ſeq. —— Traité des mal. chron. p. 168.

(2) Id. Tiſſu muqueux.

(3) *Sydenham* de podagrâ p. 454. edit. 1726. —— Conſule adhuc optimum opus chariſſimi mei *Dumas*, in hac Univerſitate Doctoris, & quem æterno amore proſequar. *Mémoire ſur l'utilité & les dangers de la fièvre dans les maladies chroniques*, *&c. couronné par la Soc. roy. de Méd. an.* 1787. *p.* 71.

(4) Aph. 32. ſect. IV.

certam ſalutem ſequi ; nam vana eſt & minime ſufficiens hæc criſis naturæ cum morbus, in ſecundo gradu adventus, jamjam laringis cartilagines altè eroſit ; abſque levamine apparet : febris non minuitur ; &, ſi pulmo jam inquinatus purulentum in humoribus ſtatum adduxerit, iſta febris ægri damno vertit in lentam hecticam degenerando (1).

XXVIII. Curantem phthiſim noſtram propriis viribus naturam depinximus, aſt vero licet efficaciter aliquando agere poſſit, horum conatuum incertitudini æger relinqui non debet ; oportet ut ars medica ſuas opes illi præbeat, aut futurum morbum præcavendo, aut morbi non tollendi urgentiora ſymptomata mitigando, ſeu tandem medicabilem tollendo.

XXIX. Ut indicationi primæ medicus ſatisfaciat, affectionis venereæ aut periculoſæ ſalivationis progreſſibus obſtabit ; noxios vapores ab ægro avertet, aut illorum effectibus citò medicabitur ; efficiet ut non ſuppuratione laringis angina terminetur ; curabit tandem ut pus acre abſceſſuum in faucibus non in laringem defluat, & ad hunc ultimum ſcopum attingendum, ægroto decubitum ſupinum & demiſſo capite cum *Mercuriali* & *Gavaſſetio* imperabit (2), ad diuturnas defluxiones in œſophagum potius avertendas, primus enim ex uno auxilio germanam mulierem liberavit, dum ſecundus virginem, jam ſanguinem eâ de causâ exſpuentem, ab omnibus medicis deſtitutam, eâdem ratione juvit adeo, ut poſtea etiam perſanare potuerit.

XXX. Cum immedicabilis phthiſis laringea judicatur, tunc æger levari debet, 1°. abſtergentibus, &, incraſſantibus. 2°. Puris exitui per vias naturæ conſentaneas favendo, aut per fonticulos vel ulcera illud educendo. 3°. puris effectus in ſanguinem anti-ſepticis non ſtimulantibus impediendo. 4°. Corpus nutriendo & corroborando diætâ eupeptâ & refocillante, lacte præcipue aſinino, ſecundum *Hippocratis* conſilium (3), exercitio moderato, aëre calido ſed parum ſicco, evitatis venere animique pathematibus & curis. 5°. Tandem diarrhæam, tuſſim, inſomnium, nimioſque ſudores per convenientia mitigando.

---

(1) Vide jam laudatum opus amici mei *Dumas* p. 172.
(2) De indicat. curat. c. 52.
(3) De morbis lib. II. p. 166. int. *Cornario*.

XXXI. Nunc ad curationem veram aut radicalem deveniamus (XXIV.) Hanc in variis morbi complicationibus nequaquam conſiderabimus, tempus & vires obſtant: aliundè in medicorum ſcriptis ubique legitur remediis quibus venereæ, ſcorbuticæ, herpeticæ, ſcabioſæ, bilioſæ, pituitoſæ, &c. complicationes in morbis debellari poſſunt. Ideo laringeam phthiſim ſimpliciſſimam, aut medicaminibus jam ſimplicem factam, & non amplius ſub cauſæ ſuæ influxu exiſtentem, tantummodo tractabimus.

XXXII. Primo morbi ſtadio ſecundum ægri vires, temperamentum, & reſpirationis difficultatem repetita venæ-ſectio convenit; ſed plerumque una aut duo ſufficiunt quia hæc affectio parum acuta eſt, & lente progreditur. Magis valent potus diluentes, mucilaginoſi, gummis arabicæ decocta, inſpirati decoctionum emollientium vapores, enemata emollientia, dulciaque paregorica. Veſicatorium efficaciter circa collum applicatur, aut potius aperitur fonticulus circa parotidem ſicut ſuadet Profeſſor illuſtriſſimus *Brouſſonnet* in prælectionibus chirurgicis, naturâ monſtrante viam, & indicantibus factis anatomicis (XXV). Sic *Aræteus* cucurbitulam vel ſinapim juxta maxillas in anginâ jubebat (1). Si tamen, his opibus invitis, magnoperè reſpirationis auget difficultas, mortem ægri præveniet Medicus ſpecillum in laringem introducendo. Hæc methodus, quam *Hippocrates* in anginoſis ſuffocantibus (2), & alii in ſubmerſis (3) ſuadent, etiam cum peritâ manu, admodum difficilis eſt, quando tubulus per fauces detruditur. Prætera, importuno ſenſu quem ſuper baſim linguæ efficit, ægro ferè intolerabilis eſt, nauſeas & vomitiones excitando. *Fabricius ab Aquâpendente* (4), *Littre* (5), & alii Introductum quidem per nares ſpecillum laudant: hujus methodi vero, circumſtantiis in quibus viæ per fauces evidens eſt impoſſibilitas, uſum circumſcribunt. Nos contrà illud per nares ſemper

---

(1) De cauſ. & ſign. morb. acut. lib. 1. cap. VII. p. 10.

(2) De morbis p. 174. int. *Corn.*

(3) Mémoire ſur les moyens de perfectionner l'établiſſement formé à Lyon en faveur des noyés, avec des remarques ſur la cauſe de leur mort, &c. Par M. *Deſgranges*, Médecin & Chirurgitn diſtingué de notre ville de Lyon, & de l'amitié duquel je me plais à m'honorer.

(4) De chir. oper. cap. XLIV. p. 482.

(5) Acad. des Scienc. an. 1718. p. 377.

introduci debere affirmamus, tanquam methodus facillima & ægro minus importuna, præſertim à ſpecillorum gummis elaſticæ inventu. Revera ſæpè & ſæpiùs vidi Dominum *Deſaut* mirabili facilitate hæc inſtrumenta in laringem per nares conducentem, & egomet ipſa in cadaveribus non minori facilitate conduxi : de hâc methodo, in optimis lectionibus chirurgicis, ſic aïebat vir iſte peritiſſimus. » Il eſt facile de conduire par le nez » une ſonde de gomme élaſtique dans la trachée artère. Elle doit être » portée ſur un ſtilet ſolide contourné comme une algalie pour hommes ; » on l'introduit avec douceur dans l'une ou l'autre narine, & lorſque l'on » s'eſt engagé dans la partie ſupérieure du pharinx, l'on ſort le ſtilet : » la ſonde tend alors à ſe redreſſer ; mais refléchie de derrière en de- » vant par le double effort qu'elle fait, & contre le bord poſtérieur des » os palatins, & contre la colonne cervicale, elle s'engage d'elle-même » dans l'ouverture de la glotte, ce dont on s'apperçoit auſſi-tôt par la » ſortie de l'air & le ſoulagement du malade qui n'eſt nullement incom- » modé de la préſence de la ſonde. On peut faciliter ſon entrée par une » légère flexion de la tête, aidée de quelques mouvemens de déglutition. » Elle s'engage fort rarement dans l'œſophage ».

Ope ſic introducti ſpecilli æger levatur, ſpirat facilius, & cum minori periculo morbi terminum per reſolutionem ſuppurationemve expectare poteſt. Primâ ſolutione curatur, aliâ vero ſecundum phthiſis laringeæ ſtadium attingit.

XXXIII. Hoc morbi tempus puris extricatione & ulceris perſanatione medetur. Prius medicamentis perficitur expectorationem promoventibus, velut gummi ammoniacum, oximel ſcilliticum, infuſa pectoralia, &c. ad exitum puri parandum utiliſſima etiam ſunt fonticuli & ſetacea circa parotidem (XXXII), quæ tamen magis ſuppuratione imminente, quam ea jam diu progreſſa proſunt. Ad puris generationem impediendam, & ulcera prorſus per ſananda varia medicamenta adhibita fuerunt. Hic parum convenit venæ-ſectio, niſi tamen in robuſtiſſimis viris, & ut pulmonum imminens inflammatio impediatur. Optimo ſucceſſu vomitionem excitabat *Hippocrates*, cum æger potens & tempeſtivus videbatur ; *aſt*, inquit, *ventrem infernum medicamento ne moveas, ſi non febres fortes corripue-*

rint. Si non autem corripuerint, *lacte aſinino ſubtus purgato. Quod ſi debilis ſit ut bibere non poſſit*, *per clyſterem infundito* (1). Vomitus reipſa valdè utilis eſt quia purulento pulmonum infarctui medicatur; ſed prudenter & cautè excitetur. De purgantibus eadem dici poſſunt; tantum conveniunt dulciſſima, quæ, ſi opus eſt, adhuc emollientibus enematibus juvantur.

XXXIV. His factis, in tepidum, nec tamen humile aut anguſtum cubiculum, ægrotum includere ſe, jubere oportet; ibique miſſis curis omnibus, amicos ac familiares audire magis quam ipſum loqui, idque ſubmiſsâ & minime concitatâ voce. Lac aſininum aut muliebre præſcribe, primum quidem non ita multum, tentandi cauſa, tum deinceps, ſi optime cedat, uſque ad fortiorem doſim, matutino tempore, tantumdem veſpertino, horis quatuor aut quinque ante prandium & cœnam. Utrumque ſit mediocre & ſine vino. Nutriatur cum pulte ex hordei farinâ & ſine ſaccharo. Cibis utatur carnibus ovillis & volucrium, & piſcibus cartilaginei generis; à juſculis vero abſtineat (2). Deambulet ante & poſt cibum, vitans ventum & ſolem..Ebrietatem, veneremque fugiat. Si æger lac purum ſuſtinere non poteſt, deveniat ad uſum ſeri lactis diſtillati, in quo antea concocta fuerint herbæ centinodiæ, hedera terreſtris, hyperici flores, nec-non bugulæ folia, & hujus lactis potiones quaſdam per diem hauriat. Acutiores laringis dolores levibus paregoricis in veſpere pacantur; ab his ſedatur tuſſis, blandus ſomnus conciliatur, undè vires reficiuntur, & matutino tempore ſputa leni tuſſi educuntur quam facillimè.

XXXV. Multi medici gummata & oleoſa balſamica in uſum traxerunt; aſt tamen alii febris & ſuppurationis augmentum indè obſervarunt; & majoris fructus ea eſſe, ſi immediatè ad partem affectam ſub ſuffituum formâ applicari poſſunt, obſervatione conſtat. Hanc methodum jam ſuadebat *Hippocrates*, ſaltem hoc intelligo cum dicit, *quando ſaliva graveolens fuerit*, *quæ ulcus ſordidum ac putridum oſtendit*, *medicamentum in pul-*

---

(1) De morbis p. 165. int. *Corn.*
(2) *P. Martian* de morb. p. 141. verſ. 347.

mones infundito (1). Hanc vero infuſionem tanquam *laborioſam* non prius tentandam eſſe nos admonet, quam ulcus putridum effectum ſit; nam purum aliis præſidiis ſanari poteſt, putridum vero nequaquam, quod magna abſterſione eget. Præſens igitur curatio ſola in hoc caſu conveniens eſt, cum vanum ſit credere, aït *P. Martian* (2), ulcera hujuſmodi per ea quæ ventriculum ingrediuntur, abſtergi poſſe ac ſanari, dum enim tot ſubeunt coctiones, antequam ad affectam partem perveniant, eorum vires admodum refractas eſſe neceſſe eſt. Maxime *laborioſas* eſſe primas ſuffimigationes etiam obſervavit *Benettus* (3), & ideo prudens Medicus à dulciſſimis, humidis & emollientibus incipiet, ut gradatim & abſque periculo ſiccis & balſamicis adveniat; ſed cujuſcumque ſint generis, penitius, viceque ipſius aëris in partes ſpirabiles ſuſcipiantur in cubiculo, clauſis feneſtris, ut vitetur omnis aëris frigidioris afflatus, ibique diu perduret ægrotus; ſecùs enim incaſſum exercentur. In eodem caſu arteriaca ſub linguâ detenta multum laudat *Aetius* (4), dum æger ſupinus cubat, ut paulatim liquefacta in aſperam arteriam lente delabantur. Inter roborantia cortex peruvianus præcipuè ibi adhibendus eſt ubi ſolida nimis laxa ſunt, & quia efficaciter illi humorum degenerationi reſiſtit, quæ à pure in ſanguinem reſorpto producitur.

XXXVI. Si, omnibus his ſero vel fruſtra tentatis, pus ſemper fætidum & mali moris ſit, ſpirituſque graveolens cum mollitie ædematoſa in anteriori colli parte, legitime in laringis cartilaginibus caries ſuſpicatur. Hic morbi ſtatus nequicquam medicamentis tentaretur, & periculoſior foret felicis, ſed incertæ, criſis expectatio. Tunc ſola valet ars chirurgica; &, ſi adhuc viget ægrotus, ſi tantum affectione laringis laborat, ſtatim poſt acerbam prognoſim, inſtituenda erit ſequens operatio.

XXXVII. Reclinato leviter ægri capite, ut larinx magis promineat, diſcinde cutim à ſuperiori parte thiroideæ cartilaginis ad ſemi pollicis diſtantiam infrà cricoideam cartilaginem. Cellulari textu diſſecto, ſternohyoidei

---

(1) De morbis p. 166. int. *Corn.*
(2) Loc. cit. p. 142. verſ. 25.
(3) Theatrum tabid. p. 125.
(4) Medic. tetrabibl. 3. ſerm. 1. c. 64.

& ſterno-thiroidei muſculi prius ſeparentur ; & vitatis aut ligatis, ſi forte occurant, vaſis, levi punctione ligamentum circo-thirodeum aperi ; obtuſas in hâc punctiunculâ introduce forfices, & ſecundum longitudinem ſuam, & in parte media, thiroideam cartilaginem divide ; utramque deinde cartilaginis partem cum apertâ volſellâ disjungendo, cavum laringis, ut evidentes tibi ſint cariei natura & ſedes, explorare convenit. In primo apparatu tantum dulce & vetuſtum linteum appone, in quo ſicca linamenta includuntur, antea tamen immiſſo per nares in tracheam ſpecillo. (XXXII). Hanc methodum variis tubulis qui in bronchotomiæ vulnere collocantur anteponimus, & hæ rationes noſtræ ſunt. 1°. Hos intrà tubulos, tracheæ directioni adverſantes, aër difficilius ingreditur ; 2°. aut illorum longitudine nocent, aut brevitate non ſufficiunt ; 3°. mobilis in tracheâ extremitas ſæpè tuſſim excitat, & in conatibus, ſicut in motibus improviſis, expelli poſſunt, quod ægrum ſubitæ ſuffocationi exponit ; 4°. facilius mucoſitate aut pure induuntur ; 5°. dura & calloſa tandem fiunt labia vulneris. Specillum gummis elaſticæ contrà per nares introductum nullo modo importunum & difficile (1), ſed tutum eſt & indicata inconvenientia vitat. Indicabimus ſolum in extremitate & lateribus apertum eſſe debere, ut mucoſi humores liberam aëri ingreſſuro viam difficilius impediant ; quod adhuc certiori modo vitari poteſt ſi duplex eſt dimiſſus in aſperam arteriam tubulus, quorum major alterum minorem excipit, ita ut interior eximi poſſit & mundari, dum exterior & major interius in vulnere manet.

XXXVIII. In die ſecundo, ſi in ſuperficie tantum caries apparuit, hanc, eroſaſque membranæ laringis partes, cum infernali lapide leviter chirurgus tanget, aut lintei globulum dulci ſolutione cauſticæ lapidis imbutum & fortiter expreſſum intrà laringem collocabit. Si vero cartilagines altè eroduntur, igne prudenter appoſito, cariem circumſcribet. Quibus

---

(1) Juvenis ſemetipſum jugulaverat : partium tumefactio reſpirationem deglutitionemque ex toto impediebat, ſed cum ſpecillis per nares in œſophagum & laringem immiſſis D. *Deſaut*, has functiones reſtituit, & per quindecim dies ægrum ſuſtentavit : ſpem curationis alebat, cum infortunate fuit ſuffocatus errore ſervi qui in ſpecillum laringis juſculum effudit, illud in ſpecillum œſophagi effundere putans.

factis tanquam in primo apparatu curabit, ſed linteum & linamenta hordei decoctione cum melle roſaceo humectando. His ſimplicibus remediis aut aliis cunctas exfoliationes expectabit, ſecundum circumſtantias, & cum opus erit, cauſticorum aut ignis applicationem repetendo. Internis aut externis complicationibus cognitis artis opibus præterea medicabitur. Nunquam ex toto per curationem à laringe ſpecillum auferret, ſed tantum verſus glottidem elevabit, & in primum ſitum, ante apparatus applicationem illud reducet. Si tamen naris una fatigatur, in aliam hoc transferre poterit. Poſt exfoliationes cunctas, & quando interior laringis facies in ſtatu naturali videbitur, tunc ſpecillum auferret, ſinetque ut vulneris labia ſeſe conglutinent.

XXXIX. In deſcriptâ operatione ſpes ultima jacet, facillima videtur, & partes oppugnat quas ſæpe impunè graviſſimæ læſiones attigerunt (1). Quâdam igitur fiduciâ hanc proponimus. Numquam in homine viventi, ignoramus ſaltem, tentata fuit; ſed, quod ad ſententiam noſtram multum probat, Illuſt. D. *Deſaut* illius feliciores ſucceſſus ſperabat. Forſan huic methodo inſanabilis mutitas ſuccedet, cum mortis autem evidenti periculo comparari nequit. Quinimo, ſi opus eſſet, variarum cartilaginum portiones magnas auferre, & ſi fortè aëris viæ naturales reſtitui non poſſent, vulnus in fiſtulam, quâ æger facillimè ſpiraret, convertere, nequaquam pertimeſceremus; & ad hanc ſententiam confirmandam, jam citata celeber. *Petit* pulcherrima obſervatio, maximi ponderis eſt. Hic etiam ſequens factum venit, quo tandem huic diſſertationi finem imponere properamus.

XL. Dum, Pariſiis, in ſcholâ chirurgiæ practicæ lectiones accipiebam, D. l'*Heritier* hujus ſcholæ profeſſor, nobis hanc obſervationem communicavit. Juvenis in delirio phrenetico ſemetipſum vulneravit in tracheâ, & labia vulneris lacerans, duorum annulorum ſegmenta digitis eripuit, chirurgieæ tamen artis opibus jam curationem attingebat, cum queſtus fuit de reſpirationis difficultate, quæ crevit eò magis quò propior fuit cica-

---

(1) *Paré*, lib. 10. cap. 30. 31. — *Tulpius* obſ. med. lib. 1. cap. 50. *Bartholin*, cent. 5. hiſtor. 89. --- *Riverius*, obſ. 5. --- *Dionis*, op. chir. demonſt. 5. *Garangeot*. oper. chir. tom. 2. chap. 8. obſ. 12. --- *Sennert*, lib. 1. pract. part. 1.cap. 24 queſt. 5. --- Mémoires de l'Acad. chir. in-12. tom. 3. p. 136. 153.

triſatio. Imminente facto ſuffocationis periculo, in hoſpitium academiæ chirurgiæ fuit tranſlatus. D. l'*Heritier* & D. *Pelletan*, Profeſſor regius, qui per hunc trimeſtrem in hoc Noſocomio functiones chirurgicas exercebant, ſpecillum per vulnus in tracheam tulerunt : ſtatim liberior fit reſpiratio ; ſed cum hoc corpus extraneum ægroro valde importunum videbatur, plures poſt dies hunc tubulum auferre oportuit ; tunc autem pullularunt carnes, redivitque reſpirationis difficultas. Iſtius difficultatis peritiſſimi chirurgi cauſam invenire crediderunt in majori conſtrictione quam tracheæ dabat cicatriſatio ; undè abſque mortis periculo fieri non poſſe, & ulcus fiſtuloſum neceſſarium eſſe concluderunt. Ad hunc ſcopum attingendum cum antimonii butyro ſæpe carnes tetigerunt. Iſtæ repetitæ applicationes, inflammationem, & abſceſſus in vicinis partibus adduxerunt, quorum ope ad naturalem ſtatum aëris viæ rediverunt, & æger ſine difficultate ſpiravit ; quod indicare videtur veram hujus difficultatis cauſam, non in conſtrictione tracheæ, ſed in membranæ interioris tumeſcentiâ ineſſe, quam vicinarum partium abſceſſus diſperdiderunt. Paucis poſt diebus perfecta fuit vulneris cicatriſatio.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*
D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*
D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*
D. FRANCISCUS BROUSSONET.
D. FRANCISCUS VIGAROUS.
D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.
D. HENRICUS FOUQUET.
D.